



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXXXII. Christus crucifixus Deus totius consolationis, qui
consolatur nos in omni tribulatione nostra.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

Psal. 30. 11.

corde utriusque! *Defecit, ait moriens IESUS, in dolore vita mea, & am-
mei in gemitibus, & afflictissima Mater ac Virgo: O fili mi, quis mihi det ut
moriar pro te.* An hic est Filius meus & Deus meus? DEUS qui inter
Cherubinos sedet, nunc, ut malefactor pessimus, pendet inter infames
latrones? DEUS qui tribus digitis appendit molem terræ, nunc in sum-
mis doloribus moritur in cruce? O mœstissima Matrum! O Mater
dolorum, *ô Fili Bennoni, date omnibus qui amant vos, & hujus dolo-
ris & amoris meminerint, in suo ab hac mortali vita discessu, lætitiã
sempiternam.*

Gen. 40. 11.
Hugo, Card.
hic.

8. Pincera ille Regius in Ægypto bonum signum ac felix somni-
um habuit, dum illi videbatur, quòd in calicem Pharaonis uvas ex-
presserit, & hoc poculum ei tradiderit: *Tull ergo uvas, & expressi in cali-
cem.* Supra quod Hugo Cardinalis: *Tunc in calicem uvas exprimimus, quan-
do per memoriam Passionis Christi dilectione afficimur.* Et quis, obsecro, non
aliquo amore afficiatur erga talem ac tantum Redemptorem, & erga
talem ac tantam Matrem? *Adhareat lingua mea faucibus meis, si non
meminero tui, ô JESU! ô MARIA!*

Psal. 136. 6.



CONSIDERATIO XCII.

Christus Crucifixus, Deus totius conso- lationis, qui consolatur nos in omni tribula- tione nostra.

*Sicut abundant passionis Christi in nobis, & per Christum
abundat consolatio nostra. 2. Cor. 1. 5.*

I.

Apoc. 10. 9.

SAncto Joanni Evangelistæ in Pathmo exuli ab Angelo porrectus est
liber, ut eum devoraret: *Accipe librum, & devora illum, & faciet
amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel.* Liber
iste dulcis & amarus Christum IESUM & hunc Crucifixum præ-
signavit. Amarus quidem tibi primâ fronte videbitur, sed si
illum bene per seriam meditationem degustaveris, videbitur tibi dul-
cis

cis ac suavissimus: *Christus liber est*, ait S. Chrysol. quem Joannes in sua Apocalypsi conspexit, scriptus intus & foris. Foris Christi vulnera cernimus, sed intus immensi erga nos amoris incendia contemplamur. O beatus, qui scriptus est in hoc libro vitæ. Audi & S. Bernhardum: *Hæc mea*, inquit, *sublimior Philosophia: Scire Jesum & hunc crucifixum. Non requiro, sicut sponsa, ubi cubet in meridie? quem tatus amplector inter ubera commorantem. Non requiro, ubi pascat in meridie? quem intueor Salvatorem in cruce, à quo mihi promanat omnis consolatio.*

2. Job Idumæorum princeps, vir singularis pietatis ac tolerantia, & typus Christi patientis, de se ipso ait: *Cum sederem quasi Rex, circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.* En typum expletum in crucifixo Jesu Rege Judæorum, prout Titulus præferebat S. Crucis: I.N.R.I. In hoc purpureo sedens throno, omnes consolatur mœrentes, si ad ipsum volunt accedere: *Ego, ego ipse consolabor vos.* Non mitam legatum, aut Angelum, sed ego ipse consolabor vos; quod confidens S. Franciscus Salesius exclamavit: *Ergo statuamus aquæ tam in monte Calvaria, quàm in Thabor dicere: Bonum est me tecum esse Domine; sive in cruce moriaris, sive gloriâ resulgeas.*

3. Canticum totum mysticum est, ac plenum incomprehensibilis amoris Christi erga sponsam suam, & vicissim sponsæ erga Christum Sponsam; unde Sponsa de ipso ait: *Manus ejus tornatiles aurea, plena hyacinthis.* Tornatiles erant hujus sanguinum Sponsi manus, quia assiduò in vita hac mortali se versabant, & volvebant ad omnigena misericordiæ opera: Nunc curando leprosos, nunc illuminando cæcos, nunc suscitando mortuos, nunc multiplicando panes, nunc aquam mutando in vinum, nunc subministrando Eucharistiam. Sed & plenæ erant hyacinthis pretiosis ac rubescentibus, id est: cruentis plagis, ex quibus nostra promanat salus; unde Philo Carpath. in hunc locum: *Tunc tornatiles factæ sunt Christi manus, quando is illas extendit in cruce, quando eæ clavis perforatæ fuerunt; plenæ autem hyacinthis, quia plenæ sunt gratis ac beneficiis in miseris peccatores & in omnes mœrentes ac desolatos. Cur ergo aliud in nostris calamitatibus quærimus solatium, quàm Crucifixum Jesum?*

4. Josepho Patriarchæ ob amorem virtutis & castitatis compedes & vincula injecta sunt: *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit animam ejus*, sed ista vincula paulò post in pretiosos annulos, torques aureas & stolam Byssinam DEUS mutavit, dum ob vaticinium futuræ sterilitatis à Rege Pharaone denominatus est Princeps totius Ægypti, & curru regio vectus, salutatus est *Salvator mundi*, in qua dignitate non se austerum, sed omnibus benignum præbuit, & consolator.

Ginther Unus pro omnibus.

Xx

rem;

rem; unde & perfidos fratres ad se in afflictione & fame accedentes blandè excepit, eosque paternè consolatus est: *Osculatusque est Joseph omnes fratres suos, & ploravit super singulos: post hæc ausi sunt loqui ad eum.*

Joseph etiam in hoc Christi typus fuit, qui in passione sua nimium humiliatus est, & ferrum pertransit animam ejus, sed tandem exaltatus, ipsam crucem, clavos & lanceam vertit in suum triumphum, imperium & gloriam: *Regnavit à ligno Deus:* in quem finem hæc ipsa jam à Regibus adorantur, & in labaris ac vexillis quasi trophæa gestantur.

Per fratres autem perfidos à Josepho nunc in gratiam receptos, rectè nos ipsos (quia peccavimus in fratrem nostrum IESUM) possumus intelligere; Accedamus igitur ad eum cum magna fiducia, ut misericordiam consequamur: *Non enim, ait Mellifluus, elevatus est in crucem, ut se difficilem praberet accedere ad eum volentibus, sed magis ut omnibus posset paratior inveniri.*

5. Elifeus tempore carestie & famis ollam collocynthidarum amarissimam injectâ farinâ dulcoravit, dum enim discipuli ejus pulmentum cocturi, non nisi herbas sylvestres collegissent, nimia illius pulmenti amaritudine perterriti exclamarunt: *Mors in olla vir Dei.* Invenit huic malo remedium Elifeus, dum lebeti farinam immisceri jussit, quæ omnem sine mora sustulit amaritudinem.

Homo Christiane! si amaro es animo, si mors in olla, si undique & ubique te circumdant tribulationes; Ecce plus in cruce, quam Elifeus, hic, inquam, dulcissimus Salvator tuus tibi paulò ante mortem suam saluberrimam subministravit medicinam (Sanctissimam Eucharistiam) & dum homines ipsi crucem & mortem machinabantur, ipse illis seipsum DEum cum thesauris omnibus potentie, sapientie & bonitatis suæ in hoc SS. Sacramento, unico velut bolo absumendum dedit. O prodigium amoris! ò solatium languentis & amantis animæ.

6. Josias Rex in Israel pientissimus, qui sanxit inter DEum & populum fœdus, ut aboleret abominanda idola, fana excelsorum, & vitulos aureos Jeroboam, qui directus & electus erat divinitus ad gentis Judaicæ conversionem, de quo Scriptura: *Similis illi non fuit ante eum Rex.* Hic, inquam, dum in prælio à Pharaone Nechao in flore ætatis suæ anno 34. occisus fuit, ab omnibus propter eximias virtutes, ac præsertim ab Ecclesiastico commendatus est: *Memoria Josia in omni ore, quasi mel indulcorabitur ejus memoria.*

Subintrat hic Cornelius: Josias est IESUS CHRISTUS, cujus passionis apud fideles & Sanctos est gratissima memoria; hic enim igne charitatis & zeli succensus, se ipsum fecit hostiam DEO pro salute hominum in

in ara crucis; idcirco memoria vitæ, passionis & mortis illius omnibus Christianis debet esse suavissima, præsertim Sacerdotibus quotidie sacrificantibus, Religiosis mentibus & perfectionis studiosis, ac denique omnibus desolatis animis; hinc S. Bernhardus suis præscripsit: *Sit tibi* S. Bernh. in formula honestæ vitæ sub iniuriis. *Jesus semper in corde, & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit cibus & potus, dulcedo & consolatio tua, mel tuum, & desiderium tuum, lectio tua, oratio & contemplatio tua, vita, mors, & resurrectio tua. O quam dulce tibi erit, si nunc amator crucifixi Jesu fueris, & tunc aliquando mori inter brachia Salvatoris tui!*

7. Revertor ad Sponsam: *Sicut malus, inquit, inter ligna silvarum, sic delectus meus inter filios.* Cant. 2. 3. S. Bernard. Rupert. &c. Adverte: Juxta mentem SS. Patrum malus inter ligna silvarum est crux & Christus crucifixus in medio latronum; sicut enim Adam peccavit in malo, manducando pomum à DEO prohibitum: Sic Christus satisfecit in malo pendens in cruce, ut ubi culpa commissa fuerat, ibi fieret & satisfactio. Ita Cornelius & alii.

Pergit eadem Sponsa: *sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Quæres, quis hic Christi fructus? R. Remissio peccatorum, justificatio & gratia divina, quam nobis promeruit Crucifixus Jesus: Ubi mox addit Sponsa: *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* Et quam hæc cella vinaria? R. Guilielmus Abbas: Porrò vinum, quod in cella Dei bibitur, est charitas & amor; cella vinaria sunt SS. ejus Vulnera ac præsertim sacratissimum COR JESU, ad quod nobis per apertum latus ejus plenus patet introitus. Sandæus habet: Devotio tenera erga Crucifixum est cella vinaria, in quam introducit animas sibi dilectas Rex Sponsus. Sandæus Centuria 7. Et quis, obsecro, peccatorum, non veniat in animo contrito & humiliato ad hanc cellam vinariam? *Peccavi Domine, ait S. Augustinus, peccatum grande, & multorum sum mihi conscius delictorum, sed nec sic despero: quoniam ubi abundaverunt delicta, superabundavit & gratia. Qui de venia peccatorum suorum desperat, negat te Deum esse misericordem. Magnam injuriam tibi facit, qui de tua misericordia deficit. Non possum terreri multitudine peccatorum, si mors tua, Domine Jesu, in mentem meam venerit. Clavi & lancea clamant mihi, quod tibi reconciliatus sum, si te amavero. Longinus aperuit mihi latus tuum, & ego intravi, & ibi requiesco securus. O solatium!* S. August. cap. 13. Med.

8. S. Catharinam Senensem, dilectam Christi sponsam in testem adduco. Experiebatur aliquando hæc sacra Virgo ingentem nausæam in servitio alicujus infirmæ, cancro foetido laborantis; ut igitur se ipsam vinceret, generoso ausu ob amorem Christi crucifixi è foetenti vulnere omnem promanantem exfluxit saniem. Sequenti nocte apparuit illi oranti cœlestis Sponsus, apertum illi exhibens latus cum reliquis

quis SS. Vulneribus, sic eam affatus: Charissima filia, plurimos per gratiam meam superasti victrix confictus, quapropter mihi etiam semper gratissima extitisti, sed heri speciale mihi præstitisti beneficium, dum te despiciens ex foetenti vulnere saniem haurire ob amorem mei & proximi non abhorruisti; idcirco & ego tibi potum impertiar, omni creato liquore dulciorem. Quo dicto eam ad SS. latus & cor suum admovit: Hic, inquiebat, bibe filia mea, ex quo suavissimo hauustu tantam dulcedinem advertit, ut deinceps omnem penitus recusarit cibum & potum. O animæ! gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus.



CONSIDERATIO XCIII.

Crucifixus Dominus, si attenta mente ipsum consideramus, salutarem nobis debet incutere timorem.

*Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es?
Et nos quidem justè, nam digna factis recipimus: hic
verò nihil mali gesit. Luc. 23. 40.*

I.

IN exitu Israel de Ægypto, ubi præeunte Moyse cum virga sua Hebræi per mare rubrum usque in adversam ripam salvi, & sicco vestigio transferunt, Pharaone interim cum exercitu suo in fluctibus submerso, subdit Scriptura: *Liberavitque Dominus in die illa Israel de manu Ægyptiorum; & viderunt Ægyptios mortuos super littore maris, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos: timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino, & servo ejus Moysi.* Et quare, dices, populus ille electus tantoperè sibi timuit, ubi infensissimos hostes suos in littore vidit extinctos? Nunquid potius gaudere debuissent Hebræi, dum à tam crudeli ac miseranda Gentilium servitute fuerunt divinitus liberati?

Respon-